



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De laqueis linguæ. XXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

pheta conqueri potest: *Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam.* Psalm. 58.

24. *De laqueis lingua.*

Primo sequidem homo illaqueatur ad auditum verborum non sanorum, postea incuruatur ad consensum, ut dicat iam talia, quæ audere metuebat. Valde enim incuruatur anima, quando deserto Deo & sermonibus eius, conuertitur ad vaniloquia, pro capienda consolatione misera. Vel sic quandoque pedibus illaqueatur, ut stet ad loquendum per aliquas moras; tandem ex placencia audiendi vel loquendi, incuruatur ad sedendum, ut sit iucunda & integra fabulatio. Ecce frater, quantus laqueus lingue, quam prona subintrat seductio. Non ergo dissonat à vero, quia sæpè decipitur quis, sub pietatis vultu, à sancto rigore.

25. *Questio oritur ex his, & longè antè dictis.*

Rursum te mouere potest, cum longè superius dictum sit cauendum esse de nimio rigore, qui quosdam de singularitate norat, & quandoque perdidit; cur hic ostèditur casus & laqueus, si rigor negligitur? Inter angustias comprehenditur hoc audito animus, & sermo iste magis perplexum legentem facit. Qui propter huiusmodi mouetur, cogitet, quia vtrouique pericula, vbi obstacula plura insunt, siue loquatur, siue indifereat quis taceat.

26. *Discretio sequenda est, & inquirenda præ omnibus iam dictis.*

Vad aliquam saltem discretionis regulam se aptet & informet, conueniens fuit, ut hanc (ostenso bono silentij, & vitio loquacitatis, cum eorum laqueis) virtutis amator faciliùs inueniret. Nec ergo simpliciter oportuit commendari silentiù, quasi semper seruandum: neque reprehendi ipsam rursus locutionem, tanquam semper superfluam; quia in omnibus discretio pulcherrima virtus est, quæ laqueos à dextris & à sinistris præcauens, viam perfectissimam demonstrat.

Discretio
vbique ne-
cessaria.

27. *Deuoti & religiosi plus ceteris silentio insistere debent.*

Est tamen pluribus magis necessaria custodia silentij, qui videlicet in statu religionis & proposito bono, atq; à secularibus hominibus remoti, & omnibus temporalibus curis exuti, Deo seruire elegerunt. Qui etiã maiorem rationem tenentur reddere in die iudicij, pro omni verbo. Nec solù de verbo, sed de qualibet alia negligentia & transgressione, grauius iudicantur. Cui enim plus donatum est, plus ab eo exigitur. Si etiã illi plenam excusationem non habent, qui officio pastoralis curæ,

Silentium
monachis
in primis
necessariù.